



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**ITINERARI[I] || ITALIAE || RERVMQ. ROMANARVM || LIBRI  
TRES ||**

**Schottus, Franciscus**

**Antverpiae, 1600**

Vrbis Romae laudatio. Cap. I.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70633)

III

V R B I S R O M A E.

E L O G I A.

C A P. I.

*Ex Aristidis laudatione Urbis,  
Gul. Cantero interprete.*



Am verò artem civilem & magnanimitatem consiliorum Urbis maximè debemus considerare & admirari, ceu nusquam similem reperturi simus. Etenim quum omnes, qui ad imperium pertinebant ( in quo totum orbem terrarum complector ) in duas partes tribuissetis: qui quidem generosiores erant, & potentiores, eos ciuitate atque etiam gente donastis, reliquis inter subiectos relatis. Ita fit, vt nec mare, nec intermedia regio ciuitate quemquam prohibeat, nec hic ab Europa distinguatur Asia, cunctis in medium propositis, nec peregrinus censeatur quisquam, qui vel magistratu vel fide dignus sit, verum communis terræ totius popularis status ab vno Principe optimo administratur, omnesque velut à communi foro ius suum singuli consequantur. Quod autem Vrbes singulæ terminis suis ac regionibus præstant, hoc vrbs ista toti orbi exhibet, vt commune omnis quæ incolitur terræ tanquam regionis oppidum. Quocirca videntur finitimi omnes per vicos diuisi, ad hanc artem vnã conuenire, quæ nunquam se cuiquam negat: sed vt terræ solum fert omnes, ita omnes homines hæc, vel vt fluuios mare, recipit, præterquam quòd hoc etiam cum mari habet commune, quòd vt illud fluuiorum accessione non crescit, quasi ipsius capacitas cum illo-

rum.

rum fluxione fato quodam connexa sit, ita nec in hac quicquam est præ magnitudine conspicuum. Quid quod eorum instar, qui in sinu omnia recipiunt, cuncta abscondit, æqualis ad exitum rerum & introitum tam existens quàm apparens? Et paulo post: Iam quod ab omnibus dicitur, terram esse communem omnium matrem atque patriam, id vos optime ostendistis: siquidem nunc & Græco licet & Barbaro cuius, siue quid ferat, siue nihil, quocumque libuerit, quasi ex patria in patriam commeare: nec vel Cilicum fauces, vel angusti & arenosi per Arabiam in Aegyptum transitus, vel montes inuij, vel fluuij immensi, vel gentes barbaræ intractabiles, terrorem cuiquam adferunt, sed ad omnem securitatem sufficit omnibus ut Romani sint, vel saltem vobis subiecti, & quod Homerus cecinit,

*Terra tamen communis erat;*

id vos opere compleuistis, terramque omnem dimensi, pontibus variis fluuios iunxistis, montesque excidistis, ut equitabilis fieret terra, & solitudines diuersorijis repleuistis, cunctaque diætæ, & ordinis beneficio mansuetiora reddidistis. Quapropter eam vitæ rationem quæ ante Triptoleum usurpata fertur, eandem fuisse existimarem, quæ ante vos in usu fuit, duram videlicet atque agrestem, & à montana parum distantem: mansuetam verò illam, & quæ nunc viget, ab Atheniensibus quidem initium cepisse, à vobis autem pariter secundis, quod aiunt, melioribus esse confirmatam.

A M M I A.

## AMMIANVS MARCELLINVS

LIB. XIII. HISTORIARVM,

**T**Empore (inquit) quo primis auspiciis in mundanū fulgorem surgeret victura, dum erunt homines, Roma, vt aueretur sublimibus incrementis fœdere pacis æternæ, Virtus conuenit, atque Fortuna, plerumque dissidentes: quarum si altera defuisset, ad perfectam non venerat sublimitatem. Eius populus ab incunabulis primis adusque pueritiæ tempus extremum, quod annis circumcluditur fermè trecentis, circummurana pertulit bella: deinde ætatem ingressus adultam, post multiplices bellorum ærumnas, Alpes transcendit, & Fretum in iuuenem erectus, & virum, ex omni plaga, quam orbis ambit immensus, reportauit laureæ triumphos: iamque vergens in senium & nomine solo aliquoties vincens, ad tranquilliora vitæ oia discessit. Ideo vrbs venerabilis, post superbam efferatam gentium ceruices oppressas, latusque leges, fundamenta libertatis, & retinacula sempiterna, veluti frugi parens, & prudens & diues, Cæsaribus, tanquam liberis suis, regenda patrimonij iura permisit. Et olim licet otiosæ sint tribus, pacatæque centuriæ, & nulla suffragiorum certamina: sed Pompiliani redierit securitas temporis: per omnes tamen, quotquot sunt, partes terrarum, vt Domina suspicitur, & regina: & vbiq; Patrum reuerenda cum auctoritate canities: populiq; Romani nomen circumspectum, & verendum. Hæc ille.

I N

## IN VRBEM ROMAM

## EPIGRAMMATA.

P. Virgilij Maronis Cento.

**I**psæ lupa fuluo nutricis tegmine latus  
 Romulus, Assarici quem sanguinis Ilia mater  
 Eduxit, gentem & Mauortia condidit olim  
 Mœnia: Romanoſq; suo de nomine dixit.  
 Illius auspiciis rerum pulcerrima Roma  
 Imperium terris, animos aquauit Olympo:  
 Septemq; una sibi muro circumdedit arces:  
 Felix prole virum: qualis Berecynthia mater  
 Inuehitur curru Phrygias turrata per vrbes,  
 Lata Deum partu, centum complexa nepotes,  
 Omnes coelicolas, omnes supera alta tenentes.  
 Hanc olim indigena Fauni, Nymphaq; tenebant:  
 Gensq; virum truncis, & duro robore nata:  
 Quæ duo disiectis tenuerunt oppida muris:  
 Hanc Ianus pater, hanc Saturnus cōdidit urbem:  
 Ianiculum huic, illi fuerat Saturnia nomen.

## OVIDII NASONIS.

**C**rescendo formam mutauit Martia Roma:  
 Appenninigena qua proxima Tibridis undæ  
 Mole subingenti posuit fundamenta rerum:  
 Quanta nec est, nec erit, nec visa prioribus annis:  
 Hanc alij proceres per secula longa potentem,  
 Sed dominam rerum de sanguine natus Iuli  
 Effecit: quo, quum tellus fuit vrsa, fruuntur  
 A Etherea sedes: coelumq; fit exitus illi.

## E I V S D E M.

**H**ic ubi nunc Roma est, olim fuit ardua sylva  
Tantaq[ue] res paucis pascua bobus erat.

## E I V S D E M.

**G**entibus est aliis tellus data limite certo:  
Romana spatium est urbis & orbis idem.

## AVRELI PROPERTII.

**H**oc quodcumque vides, hospes, qua maxima  
Roma est,

Ante Phrygem Aeneam collis & herba fuit.  
Atque ubi navali stant sacra palatia Phabo,  
Euandri profuga procubere boues.  
Fistilibus creuere Deis hac aurea templa:  
Nec fuit opprobrio facta sine arte casa.  
Tarpeiusq[ue] pater nuda de rupe tonabat:  
Et Tiberis nostris aduena bobus erat.  
Quo gradibus domus ista Remi se sustulit, olim  
Vnus erat, fratrum maxima regna, focus.  
Curia pretexto qua nunc nitet alta Senatu,  
Pellicos habuit, rustica corda, patres.  
Prima galeritus posuit pratoria Lucmo:  
Magnaq[ue] pars Tatio rerumerat inter oues.  
Hinc Taties, Ramnesq[ue] viri, Luceresq[ue] coloni.  
Quattuor hinc albos Romulus egit equos:  
Quippe suburbana parua minus urbe Bouille  
Et, qui nunc nulli, maxima turba Gabij:  
Et stetit Alba potens, alba suis omine nata:  
Hac ubi Fidenas longè erat ire vias.  
Nil patrium, nisi nomē habet Romanus alumnus:  
Sanguinis altricem nunc pudet esse Lupam.

Huc

*Huc melius profugos misisti Troia penates:  
 O quali vecta est Dardana puppis aue.  
 Arma resurgentis portans Victricia Troia,  
 Felix terra tuos cepit, Iule, Deos.  
 Optima nutricum nostris lupa Martia rebus,  
 Qualia creuerunt moenia lacte tuo.*

## M. VALERIVS MARTIALIS.

**T***errarum Dea, gentiumq; Roma,  
 Cui par est nihil, & nihil secundum.*  
 Omitto reliqua Aufonij, Claudiani, Rutilij  
 Numantiani Elogia: tum recentiorum Iulij  
 Caesaris Scaligeri, Fausti Sabæi, Brixiani, alio-  
 rumque encomia. vnum tacere ob elegantiam  
 M ANTONII FLAMINII sine fla-  
 gitio non possum.

**A***ntiquum reuocat decus  
 Diuum Roma domus, & caput urbium:  
 Vertex nobilis imperi:  
 Mater magnanimum Roma Quiritium,  
 Fortunata per oppida  
 Cornu fundit opes Copia diuite,  
 Virtuti suus est honos:  
 Et legum timor, & prisca redit fides.*

## ROMANAE VRBIS LAVS,

*Ex Hercule Prodicio Steph. Pigbij.*

**I***n signia spectanda sunt ædificia, tam publica  
 summorum Pontificum, quam priuata Car-  
 dinalium ac Principum, quibus nostro seculo  
 Roma plurimum indies magis excolitur & ex-  
 ornatur. Sed in primis Horti illi retro Palatiū ad  
 Vaticanum cliuū positi, qui ab amenitate con-  
 templa-*

templationis nomen accepere; & ob pulchritudinem & cultum per orbem terrarum mirè celebrantur. Nos Calliopeios forsitan & pulchri-formes, id est, ἀγλαομόρφους (vt Themidem appellat Orpheus) non ineptè vocaremus. In his prætorium è regione Palatij versus Septentrionem Pius IV. summus Pontifex excitavit magnificentissimum, suppellectiliq; instruxit regia; cuius item lacunaria, parietesq; picturis artificiosissimis, atque tectorio marmorato, inauratoq; maximis sumptibus expoluit. In eum, ni fallor finem, vti esset hospitium, quo maximi quique Principes Romam commeantes, dignè commodeq; pro maiestate possent excipi. Ante eius frontem quæ Palatium respicit, ab imo solo gradibus subuexit hemicyclum in tubline theatri ferè magnitudine, multisq; marmoreis statuis conspicuum reddidit. Arcam inter Palatium & prætorium noua porticu ab occidente sepsit, vt angulari circi formam illa referat. Atque hæc ex quadrato saxo constructa, si suprema manus operi tanto adiuiceretur, sumptu & magnitudine cum altera, quæ ex aduerso est, certare potest.

Tum etiam vrbs illius quondam triumphantis, atque orbi terrarum imperantis antiqua monumenta: giganteæ profectò molis opera, si prolapsas in solum, velut è montibus, testudinum ac fornicum vastas rupes; si turrium atque murorum immanes ruinas intuearis in thermis, templis, amphitheatris, circis, aquæductibus, atque theatris, ceterisq; publicis ædificiis multis. Stupet non illiteratus hospes, nec satiari contemplando potest, incidens in amphitheatrum Titi Vespasiani, supra septem mundi miracula Martialis poëtæ elegantissimo epigrammate laudibus euectum, Pantheon Vespasianum, Thermas Caracallianas, Constanti.

stantinianas, atq; Diocletianæas, prouinciarum quasi in amplitudinem extentas, ac urbium magnarum forma, turribus mœniisq; altissimis septas. Miratur tot marmoreos arcus triumphales, columnas cochlides, armorum atque bellorum expeditiones sculptis ad viuum imaginibus referentes: pyramidum ingentia saxa, & obeliscorum trabes immanes, quarum euehendarum ob causam naues fabricatæ fuerant, vt veluti iuga montium per fluctus iratos transportarentur. Quid referam gigâteos ex vno saxo colossos, Castorum *ἰπποδάμοι* cum equis exultantibus atque Fluiuorum ingentium prostrata corpora, tot ex ære marmoreq; precioso & rari generis statuas artificiosissimas, columnas ingentes, vasa, labra, conchas, soliaq; balnearia capacissima: quæ in thermis, balineisq; publicis olim vsui fuere: sicut & illæ cathedræ pertusæ ex Numidico leucostycto durissimo perpolitæ in Lateranensis basilicæ porticu vulgi fabulis infames. Quæ omnia hic accuratius describere alterius potius voluminis materia fecunda foret. Nec operæ precium nunc arbitror, cum plures docti viri non infelicitè in eo stylum ingeniumq; exercuerint, atque indices exerceant. Tanta igitur rerum mirabilium copia atque varietas admodum iucunda non potest non esse.

In hortis Calliopeiis, quos ante dixi, visuntur humana statura maiores, atque specie magis augustæ ex marmore candidissimo statuæ: vt pulcherrimus ille *Apollo Hecatebeletes*, *Hercules*, *Veneres*, *Mercurius*, *Genius principis*, quem *Antoninum Hadriani Imp.* esse quidam autumant, *Nympha Anapaomene* ad fontem decumbens, quam *Cleopatram* volunt. Item ex vno Pario saxo *Laocon* ille Troianus cum duobus adolescentibus duorum draconum nexibus intricatus,

catus, atque tantopere à Plinio laudatus. In qua quidem statua ad vnguem elaborāda tres simul artifices summi, *Agasander, Pelydorus, & Athenodorus* Rhodij communi consilio operam ac ingenium impenderunt. Raro quidem hæc casu inter ruinas ædium Titi Vespasiani Imp. conseruata, & à Carinis extracta est. Sic *Tiberis* fluius cum *Lupa* lactante geminos *Romulum ac Remum* ex vno saxo. Sic *Nilus* ingens *Sphynge* innixus, per cuius corpus sedecim cubiti pueri (vt eos *Philostratus Lemnius* appellat) lusitantes eius fluminis incrementa notant. Quorum decimus sextus humero ipsius insidens, calathum fructibus & floribus plenum capiti imponit: atque indicat *xv*. cubiti iustum *Nili* incrementum *Aegypto* fructuum omnium summas adferre delicias; non secus ac *xv*. securitatem, & *xiv*. hilaritatem. Reliquos inferiores, nempe si supra *xiii*. cubitum non excrescat *Nilus*, famem ac penuriam *Aegypto* portendere, *Plinius* idem scribit *historiæ naturalis* libro *v*. cap. *ix*. Hæc etiam elegantissimè in ipsa statua per puerorum gestus indicantur, in cuius item basi frutices, herbe, plantæ *Nilo* peculiare ad viuum exsculptæ visuntur; vt *colocasias*, *calamus*, *papyrus*, aliæque, quibus *Aegyptus* propter *Nilum* est nobilis, quemadmodum & raris animalibus, in eadem basi non minus eleganter imitatis. Inter quæ sunt *hippopotami*, *ichneumones*, *trochili*, *ibides*, *scinci*, *crocodilo*. Nec desunt perpetui horum aduersarij ac domitores *Tentyritæ*, nauiculis amnem exercentes, atque *crocodilos* remis territantes. Pusillum genus hominum, sed animi præstantia mira huic beluæ infestum: quorum vel voce sola, vel olfactu fugatur, non secus *Psyllorum* tactu aut odore serpentes. Quinetiam *Tentyritæ* *crocodilorum* natantium dorso insilientes, iniecta oris rictui claua, tanquam lupato

lupato equitantium modo in terram agunt ca-  
 ptiuos, coguntq; euomere ad sepulturam recen-  
 tia deuorata corpora, quemadmodum Plinius  
 idem libro octauo cap. xxv. memoriae prodi-  
 dit. Hæc quidem omnia singulatim, & quic-  
 quid est in hortis Vaticanis pontificioque Pa-  
 latio preciosorum ornamentorum, artis, atque  
 elegantiae, in picturis, sculpturis, auleis, tecto-  
 rio, & statuis, monstrata, & à Doctis declarata  
 mirificè placent: vt & in Nymphæo Pij. summi  
 Pontificis statuis, signis, epigraphis antiquis, &  
 preciosis, rarisque marmoribus opulentissimo,  
 pulcherrimus ille ex Pario pater Oceanus dem,  
 aquarum omnium princeps, rerumque parens,  
 vt eum Homerus appellat ex philosophorum  
 veterum sententia: Qui inferiorum elementor-  
 rum ac corporum genitale semen liquidum ex  
 eo per vniuersum exurgere, & propagari vo-  
 lunt; solisque, & siderum igneis per aquas exha-  
 lationibus nutriri. Oceanum itaque fabulantur  
 amicissimum esse Promethæo, superiorum mundi  
 corporum temperatorem Genium hunc intelli-  
 gentes, vt inferiorum Epimethæa. Iam verò quòd  
 capite tenui velo sit tectus, nil aliud ingeniosi  
 pictoris inuentio hæc indicat, quàm quòd ne-  
 bulis ac nubibus mare cælum obuelet, & ve-  
 stiat. quoniam etiam humore suo genitalem terram  
 ipsum fecundare, & ad plantarum, stirpium, ac  
 omnis generis herbarum germina producenda  
 præparare: capillitium, barba, pubes, denique  
 superciliorum ac papillarum crines, non tam  
 ex cute, quàm ex achanti, herbarumue tenem-  
 marum folijs aptissime prodeuntibus perelegan-  
 ter significant. Facie quidem pulcher est, ena-  
 scentiaque in fronte bina coruua non parum  
 decoris addunt: quemadmodum *νευροειδης*  
 id Euripidis Oreste nuncupatur Oceanus; tum  
 quia ventis & tempestatibus actus taurorum in-  
 gentium

gentium instar mugitus edat horrendos; tum quòd Lunæ *μηνοςιδέος* vel falcate, quæ *πρωγχερ* ab Orpheo vocatur, motum sequatur, & ad eius mutationes fluxum atque refluxum suum au-geat, vel minuat. Adde quod fontium, ac fluuio-rum parens dicatur, quos & cornutos finxit an-tiquitas, sicut etiam prius alia occasione de-monstrauimus. Iam verò manu altera tenet na-uis temonem, *Promethei* sui donum; eo quòd sola navigatione sit peruius, veliuolisque lignis fre-quentetur. quod suum inuentum esse, testatur apud Aeschylum poëtam ipse Prometheus. Ce-to vel pistrici Atlantico incumbit Oceanus monstro immani, vt beluarum ac prodigiorum genitor esse dicitur. Eiusdem quasi formæ ce-tum videmus Romæ inter cælestia signa, in Atlantis antiqua marmorea sphaera. Nam huic monstro expositam Andromedam puellam à Nereidibus propter formę contentionem, Græ-corum fabulæ produnt, occisumque à Perseo cetum, cum Andromedam solueret, & eiectum in littore sanguinis fontibus amplis mare tin-xisse, quod à colore rubro Erythræum hinc ap-pellari volunt, quemadmodum Philostrati ico-nes pulchrè declarant. Cetus igitur hic vitalis ac ætherei spiritus Oceano solis radiis infusi, quo tanta vis animalium in eo gignitur, respi-rat & alitur, argumentum esse videtur. Cete-rum hæc, aliaque insignium statuarum ( quæ in Vaticano, in Capitolio, Farnesiorum, Cæsij, aliorumque illustrium hominum palatiis & hortis occurrunt ) mysteria hic diffusius expo-nerè longum esset. Alterius etiam palastræ ceromata hæc esse videntur; maiori que sudore digna: quamuis ea nos vbique ( vti varietate rerum scitu dignarum lectorem nonnihil oble-ctaremus ) obiter, atque *παρεπρῶς* attigerimus.

At verò inprimis religionis ergo lacratiore

F

atque

atque vetusta sanctimonia celebres septem visitandæ sunt per urbem basilicæ; & sacraria ubiq; perlustranda, in quibus cum Diuorum reliquiæ infinitæ, tum præclara quædam Christi Seruatoris nostri monumenta reconduntur; vt sacrosanctum cum effigie ipsius Seruatoris *sudarium Veronicæ*; *Longini centurionis lancea*, quæ pectus in cruce mortuo aperuit; *clauus*, quo cruci affixus; *Rhodium nummus* ex triginta argenteis, quibus à Iuda proditore fuit venditus.

DE ROMA VETERE AC NOVA,  
EIVSQ. ADMIRANDIS.

CAP. II.

*Ex Laur. Schraderi Lib. II. Monumentorum Italia.*

**R**OMA terrarum domina, Urbium regina, flos, atque ocellus Italiæ: & vt Polemon Sophista apud Athenæum, ac Galenum appellat, τῆς οὐρανίας ἐπιτομῆς, orbis compedium, pro dignitate laudari non potest, vt Aristites Sophista edita oratione tentauit. Quare, quod de Carthagine C. Crispus ait, Silere de ea præstat quàm pauca dicere. Arx enim est omnium gentium, theatrum ingeniorum; domicilium Virtutis, Imperij, dignitatis, ac Fortunæ: patria Legum, omniuraque hominum, & quod olim Athenæ Articæ, disciplinarum fons, sacerdotij, ac Iustitiæ: Religionis denique caput, ac norma est, frémant licet omnes hæretici, qui Urbem æternam extinctam funditus, vt Veritatis sedem cuperent.

Sira loco non admodum fertili, Austroque obiecta, & cæli grauioris: olim amplissima, cuius